

Q. N. 261, 17.

Acclamations Votivæ
Ad Clarissimum & Excellentissimum

Z c
7030

VIRUM

DN. M. ANDREAM
MOLLERUM,

X 2054165

Poëtam Laur. Cæsarium, Gy-
mnasii Freiberg. apud Hermunduros hactenus
Prorectorem & lingvæ sanctæ Lectorem
Ordinarium,

*Quum ipsi supremi in Arte Medicâ honores &
brabea Doctoralia*

In illustri Academiâ Salanâ
ritu solenni

ex debito conferrentur

M. DECEMBRI D. XL

ANNO CHRISTIANO

MDCCCXXXVII

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

J E N Æ

Sub calcographéo JOH. CHRISTOPH. WEIDNERI.



Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is faint and difficult to decipher but appears to contain several lines of script.



Additional handwritten text at the bottom of the page, possibly a signature or date, which is also faint and difficult to read.





U Nus vix uni lingua vir sufficit: at tu
Mollere excellis sex idiomatibus.
Carmina conscribis Latîa, linguâq; pelasgâ,
Hebræo scribis, Chaldaicâq; stylo.
Nec Tibi difficile est Arabum quoq; cogere more
Verba & Syriaco fundere metrapede.
Hoc nostro rarum seculo: hinc & Daphnide dignus,
Daphnide Phœbeâ Casareaq; vir es.
Hanc sponte imposui Tibi nomine Cæsaris: unde
Doctos inter habes nomina clara viros.
Sed nunc splendidiore caput diademate fulget,
ex merito illustris quod Tibi Jena parat.
Dum te Doctorem digne vocat, & novus artis
vult ut dicaris Curio Pœonie.
Hos, vir amice, novos meritò Tibi grator honores,
& fortunati sint, precor ex animo.
Maecte tuis titulis & donis, alter in arte
& medicâ & melicâ Delius esse potes.

deproperavit honoris & benevolæ
congratulationis ergò

Matthias Hœ ab Hoenegg D. Sacre
Cæsareæ Majestatis, Aula & Pa-
latij Imperialis Comes.

INventum Medicina Dei est: Quicumq; medendi
Despicit artifices, despicit ille DEUM.
Est donum Medicina Dei: quicumque medendi
Artifices laudat, laudat & ille DEUM.
Innumeras herbas, floresque & gramina mille
Producit tellus fœta creante DEO.

A 2

His

His sua stat cunctis species, stat & addita virtus,
Quam propriam iussit cuilibet esse DEUS.
Herbarumq; suos vires traducere ad usus
Quis docuit? docuit gratia sola DEI.
Absque DEO frustra Medicus sua pharmaca miscet,
Nec sine, quid profunt pharmaca mista, DEO.
Non phiseos tantum Medicus se jaetitet esse
Servum: sed servum jaetitet esse DEI.
In Medici cadit ille manus, qui crimina patrat
Vindicis & poenas provocat usq; DEI.
Non est in Medico talis sanetur ut æger.
Auxilium Nemese jure negante DEI.
Qui morbis hominum punit delicta, medentum
Propitius morbos tollit & arte DEUS.
Fælix qui nunquam sumit medicamina: fælix
Corporis atq; animæ cui medicina DEUS.
Hæc Mollere tibi cum sint benè cognita: morbos
Non nisi propullas auxiliante DEO.
Perge favente DEO deinceps quoq; pellere morbos,
Non malè succedit Cura favente DEO.
Ceu mola grana potest frugum minuisse subacta,
Sic tibi det morbos posse fugare DEUS.

Johan Major D.

L Audantur merito docti, quos dexter Apollo
respicit, & dignos premia digna manent.
Sic virtute meres tandem, MOLLERE, decusq;
& nunc ex merito premia digna capis.
Premia, quæ confert Tibi nostra SALANA, medendū
dum Te DOCTOREM dicit in arte novum.

Gra-

*Gratulor ergò novos titulos, & præmia digna;
& sint fausta Tibi, sint diuturna precor!*

*Petrus Theodoricus Jctus Consil.
Saxon. Facult. Jurid. ac Scabina-
tus Ordinarius P. P. Judiciũq;
provincialis Assessor primarius.*

CUlmia Thespiadum scandisti in flore Juventæ,
Unde Tibi Pallas digna brabea dedit,
Mox Celsi ingressus pleno viridaria cursu
Ut possis Medicæ laudis honore frui.
Sentibus illa licet fuerint sanè obsita multis,
Ista tamen virtus transit atque labor.
Hinc Tibi Apollo offert dulcissima præmia honorum,
Pectore quæ toto gratulor; atque precor
Larga DEI bonitas ditet Te pluribus usque
Dotibus, atque ægris sis Panacæa Tuis!

*Clariss. Dn. Adfini gratula-
bundus hæc scribebat*

*Ortobolpus Fomann
D. & P. P.*

Non pracone probis mercibus est opus;
Nec suspensa hederà vendibili mero:
Sic, MÔLLÈRE, Tibi carmina nil mea,
Profunt, quæis celebrem TE, decus & tuum;
Laudatus satis est, quem sua seibili
In cuncto celebrat docta Sais virum:
Laudatus satis est, quem celebrat chorus
Totus Pieridum & tot celebres viri.
Tantum gratulor hoc tempore honoribus;
Quos ceu digna Tibi præmia contuli,
& summum penito pectore comprecor

A 3

JHG

JHOVAM, Numine quò TE foveat sacro,
& longo incolumem tempore protegat.

Amicæ gratulationis ergò
addebat

Zacharias Brendel
Med. D. & P. P.

S I bene pro meritis debetur Laurea cuiquam
Hæc, MOLLERE bono debita jure tibi est:
Cura fuit Sophiæ didicisse fideliter artes,
Et celebris medicâ DOCTOR in arte viges:
Unde per ora virum volitant tua Nomina miris
laudibus, & meritum claret ubiq; tuum.
Hinc & Apollineo Musæ tua tempora ramo
condecorant, & te fronde virente beant.
Hinc celebres præclara canunt tibi carmina vates,
teque vehunt meritis fulgida ad astra tuis.
Queis ego nil addens referam tua gesta tacendo,
ne videar laudes diminuisse tuas.

Clarissimo, experientissimo, viro lingvarum
orientalium scientissimo, medico peris-
tissimo, gratulabundus apponebat

Wernerus Rölfinck Hamburg. Phil. Med. Doct.
Prof. s. horri præfectus, Facult. Decanus.

Ad Clariss. Dn. M. Andream Mollerum Doctorandum.

L Arga parens Natura manet, quod denegat uni,
Ampliter indultu summi pars altera supplet.
De te quid referam Mollere, obtrudere palpum
Non fas, nec didici; dicam dicenda, sed arctè.
Si Natale solum, si gloria prima Parentum,
Si vis ingenii solertis, siq; Mathesis
Quid poterunt, Physis en Tibi fœnore condidit amplo.
Hæc hæc Andream poscunt, labor omnia vincit.
Nec defodisti cerebro torquente talentum;

Quin

*Quin, quod laudis epos, jureat impallescere chartis.
Hinc tot lingvarum miranda peritia, gnosis
Hinc critica, hinc studium Sophies, hinc cura Galeni.
Zoilus exarsit, nebulamq; offundere frustra
Tentavit fama; stetit hæc, punctumq; merebit.
Nunc pectus cingit nova purpura, tuq; supremam
In Medicis laurum digna cum laude reportas.
Hæc bona fert Pallas, rumpantur ut ilia Codro.
Plura meret Pietas, sed me compesco, precorq;
Et dotes animi, & famam, vitamq; Galeni.*

*M. Ægidius Wildius, Inspe-
ctor Waldbeimensis.*

ECce! tibi tandem meriti tribuuntur honores,
Möllere, Aonias qui, Pæoniasque per Artes
Excultus, multos vincis, & laude triumphas.
Sic Proceres Medici statuunt, totusq; Senatus
Annuit, (adplaudunt Charites, benè vertat **IOVA!**)
Sic artes meruere tuæ, vitæque prioris
Tempora, & assiduò tua mens intenta labori.
Profit honos, vigeat fertum, multusq; cupitam
Sentiatur æger opem; Tua laus Hyperione nati
Solis ab occalu solis clarescat ad ortum!

*f. gratulabundus calamo festinantiss.
Johannes Zeisoldus, Phys. Prof. Publ.
Facult. Philos. p. r. Decanus.*

Quando novis iterum Mollerus honoribus auctus
Incedit, toto gaudet Hygeia sinu.
Et quia morbiferis contabuit hæctenus annis,
Nunc se sat vegeti roboris esse putas.
Nec male sic sentit, nec spe se lactat inani,
Artificem vitæ cum sit adepta novum.
In Physicis etenim quid præstet & arte medendæ
Mollerus passim publica fama refert.

*Inde meret celebris Medicorum puncta senatus;
Atq; Machaoniâ Doctor in arte cluet.
Gratulor, utq; novo sua sit promotio felix
Artifici vitæ, mente favente precor.
At tu, quisquis amas vegetos in corpore motus,
Autorem vitæ supplice voce roga,
Vitæ carnifici ne plena potentia detur,
Tantas ut strages edere porro queat,
Artifices autem vitæ conservet & ornet
Ut generi humano commoda multa ferant.*

*Calamo festinante & animo favente
reliquis adjiciebat*

*M. Balthasar Wagner / Archie-
diaconus Fribergensis.*

Ille, Vir est, Sophiam coluit qui gnaviter, ille,
qui nulli Clariâ cedit in arte, Vir est;
Et Vir is est, potis est, qui tot clarescere lingvis,
qui Sanctam, lingvas lex aliasque tenet.
Immò Vir est, Medicis qui prævalet usq; peritis,
qui nulli Medicâ cedit in arte, Vir est.
His, Mollere, bonis præclarus es omnibus, ergò
triplice laude Vir es, triplice Doctor eris,
Doctoralis honos Tibi (faxit Trinus & Unus!)
unus in hoc triplici munere prosper eat!

Amicitiae gratulat. ergò fac,

Burchardus Berlichius.

Splendida si vellem cantare encomia Phæbi,
Musarum, & melica Præses ut Artis erat:
Musas, atq; mele melius clarare nequirem,
Quàm, MOLLERE, tuis nomine, laude, lyrâ.
Splendida si vellem cantare encomia Phæbi,
Lux vitæ, & medica Præses ut Artis erat:

Ad.

*Addere conatus, & cogerer addere, summo
Quos Meditina gradus addit honore Tibi.
Huc Te Musarum celeberrima janua JENA
Ducit; JENA Tui mater honoris erit.
Inde redux clare, nunc nomine maeste celebri;
Vite-consultus DOCTOR, Amice, clues.
Tuta sit, & celeris, Medici jucundaq; cura,
Vult Asclepiades; sit tua tanta precor.*

Honoris & Amoris ergo s.

*Gottfried Reinhold / Ecclesiastes
Cathedralis Freibergae.*

Magnam Poetam surgere *Pindarum*,
Cantabat olim Fama, labris apes
infantulo somnum trahenti
mellea mella quod intulissent.

MOLLERE, magnum te *Medicum* quoque
quidni putemus, cujus in abdito
sedem cerebro collocarunt,

Divus *Apollo*, novemque *Musae*
Primis ab annis haec faciles tibi
sefe dederunt: artibus optimis
cor imbuerunt, atque linguam

sex idiomasi perpolitam
Sic reddiderunt, quicquid ut edere
voci *Latinus, Graecus, Arabs, Syrus,*
Chaldaeus, Hebraeus que, mente
percipias, referas & ore

Norunt id omnes, tu quibus hastenus
innotuisti. Doctor *HOE* quoque
id novit, a quo *Laureati*
nomen habes, titulumque *Vatis*.

B

Ex.

Exercuisti nec minus indolem,
posses ut *Artes* ritè *Galenicas*
novisse, *Natura*que cunctas
interioris opes ad unguem.

Salana quare nunc *Academia*,
dignè *Medentum* Te dat in ordinem,
novumque *DOCTOREM* salutatur,
& *Tyrià* decorat tiarà.

Congratulamur quique tibi novos
illos honores, ac petimus, diu
ut perseveres clarus *arte*

*in Melicà, Medicà*que *DOCTOR!*

Singularis Amoris & Amicitiae ergò F.

M. Josephus Clauderus, Ecclesia
Altenburg. Diaconus.

F *Rater* chare, tui quoque sum spectator honoris,
Dum *SALANA* parat summa brabea Tibi.
Vanus ego nec sum tantum spectator honoris,
Devotè jungo sed mea vota tuis:
*Sit*que *DEO* est gratus, multis sit & utilis ille,
*Sit*que salutaris, *Frater*, ubique Tibi.

Petrus Mollerus Pegavia, Pastor
in oppidulo Grötsch.

O Mollere, decus clarorum, *Clare*, *Virorum*
Nec non & *Medici* gloria magna chori,
Lipsia Te clarum procreavit clara *Magistrum*:
Clarum *Doctorem* claraque *Jena* creat.
Sic magis atque magis patriis clarebis in agris:
Clarus eris *Doctor*, charus eris *medicus*.

Honoris & faustae gratulationis ergò
properanter f.

M. Philippus Zeisoldus, SS. Theol. Stud.

Quam

Quam bene convenient, Et in una sede morantur
Assiduusq; labor, nec levidensis honor:
Tu Mollere doces pulchre: quot queso tulisti
Aspera, quam duri grande laboris onus.
Nunc capis egregios opera felicitis honores,
Quos tibi munifica fert Themis ipsa manus
Incedisq; caput Tyrio velatus amictu,
Et quaecunq; novus munera Doctor habes.
Gratulor ex animo, letos Tibi grator honores,
Et precor, ut fervet, qui dedit hosce DEUS.

Clarissimo Domino Doctorando, Civi suo
honoratissimo faulle sic adclamabat

Jacobus Haberstro.

Magne vir egregios merito Tibi grator honores,
Illustris facili quos dat IENA manu.
Magnum magna decent conatum gaudia, magnos
Tu pellens morbos, magna brabea capis.
Es Magnus Magnæ Freibergæ, Majores ipsi
Vicinos agros, qui colit & recolit.
Maximus es Medicus cunctis, & laude celebri,
Hinc voto sancto Te mea Musa canit:
Det DEUS ut seros venias bene sospes in annos
Et semper tollas doctior arte malum!

Ita voveb. Patrono suo magno
Josephus Clauderus, Altenb. Medic. Stud.

Gloria summa Duci, monstrare ex Marte brabeia,
Et vicisse hostes, gloria summa Duci.
Præmia cum spoliis amplis victor que reportat,
Eximii multum victor honoris habet.
Majus at hoc decus est, si quos vel Apollo coronat,
Vel Musæ tribuunt digna trophæa suis.

Qui

Zc7030 IK

Qui namq; horum abigunt hostes & signa rep. stant
Victorum, fama hæc nescia mortis erit.

Hinc, Vir Clare, tibi non præmia digna recusat
Phœbus, qui Medicæ conciliator opis.

Hostes vicisti, Musis qui bella movebant,
Hinc tanquam victor digna brabeia capis.

Dum tibi DOCTORIS confertur nomen honosque,
Proque labore datur gloria lausque decusque.

O lucem optatam, quâ præmia digna laboris
Pro meritò tribuit summus Apollo tibi!

Munera tanta tibi ex animo jam grator, & opto
Prospera: fac mea sint ut rata vota DEUS.

Quibus paucissimis amoris & honoris
g. calamô a. festin. faustè acclamare
voluit

Henricus Köler Phil. Stud.

Qui MOLLERE, diu voluisti pectore curas,
Ut possis celebris nomen habere viri,
Nunc optata tuis respondent omnia votis.

DOCTORIS medicâ nomen ab arte capis,
Hoc ut felici clarescat sidere nomen,
Sintq; tuis curis, prospera Fata precor,

Joan Wilhelm Benzinger
Phil. Stud.

F I N I S.

W/A

M.C



Q. R. 261, 17.

Acclamations
Ad Clarissimum & Ex

VIRUM

DN. M. ANI
MOLLER

Poëtam Laur. Cæ
mnasii Freiberg. apud Herr
Prorectorem & lingvæ las
Ordinarium

*Quum ipsi supremi in Arte
brabea Docto*

In illustri Acade
ritu solen

ex debito confer

M. DECEMBRI

ANNO CHRIST

clō Iōc xxx

J E N
Sub calcographéo J O H N C H R



30

054165

CA
IA

